

Set cum iam pius Dominus ad suprascriptorum limina nonnulla miracula operaret, et plures cum plenissima voluntate ad sanctorum loca niterent festinare, viri Dei successor Avitus episcopus certiora cognoscens, cepit infra semet ipsum trutinare et Dei auxilium inplorare, ut, si debitum opus in eundem locum patraret, ipse hoc ei demonstrare deberet. Non post multos dies per Ragone monacho ex iam dicto coenobio abbatem Godonem fecit ad propriam revertere regionem. Coepit itaque predictus pontifex cum ipsum consilium inire, ut monasterium virorum in predicto loco Vulvico deberet construere. Quod et opere actum est, regulareque coenobium ad eundem locum adgregatum, atque pro reverentia sanctorum multa ibi contulit dona.

Eratque diocesis aut procul vocabulum Riomaus¹ de predicto loco Vulvico, et in ipsa vicinia aeger quidam consistebat febrilitate labore confectus. Cumque iam per multos dies solitum sustineret laborem, coepit ex plenissima devotione vovere, ut si sospitatem per intercessionem sanctorum valeret invenire, confestim honeratus iuxta vires, ad Christi pauperes ibi consistentes gratias properandum² festinaret. Cumque confortatus ad tempus paruisset et quedam de expensa ad humerum proprium, quod sponte pollicitus fuerat, onerasset, tamen vasculum vinarium ad proprium humerum detulisset et iter ad sanctum locum predestinatum arripuisset et una cum difficultate pergeret et in calce mons, qui ad ipso sancto³ loco pertingit, pervenisset, ilico defecit et cepit infra semet ipsum cogitare, quid de predicto voto deberet agere, ut ad propriam⁴ remearet. Eminus aspexit, vidit aut procul turba pauperum et voto, quod detulerat, eis tribuit. Ille vero ad orationem ad liminibus sanctorum ingressus, vasculum ante fores ecclesiae relicto, et de oratione regressus, ipsum quod reliquerat plenum repperit. Quo facto omnibus innotuit.

Sed de his ita satis actum, nunc ad aliud⁵ miraculum flectamus articulum. Erat scamnum infra urbem predictam, in quo predictus pontifex iacere consueverat, exportatusque exinde fuit ab excurribus⁶ et in mimorum⁷ ludum deditum. Sed cum miraculum aliquod ad ipsum scamnum patefactum fuisset, arripuit eum⁸ pavor et eum in basilicam sancti Simphoriani deportavit, et ibidem Dominus⁹ multum miraculum dignatus est ostendere. Erat enim vir vite venerabilis nomine Venerianus, cognomento Sanctus, cuius cum nomen¹⁰ vita

1) 'Riomanus' 2 b. 2) 'peracturus' 2 a.; 'relaturus' 2 b. 3) pr. m. superscr. 1. 4) 'propria' 2 a. b. 5) 'aliud' pr. m. 2 a. 6) ita 1; 'excurribus' 2 a.; 'scurris' 2 b. 7) 'minimorum' 1; 'nummorum' 2 a. 8) 'arripuisset' pr. m. corr. 'arripuit eum' 1. 9) om. 1. 10) 'noline' 2 a. b.